



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1719. usque ad annum 1720

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 19. Pater Petrus Lasiteau a summo Pontifice Lutetiam Parisiorum missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67659)

Sæc. XVIII.

A. C. 1719.

NOS ergo RECTOR & UNIVERSITAS STUDII PARISIENSIS: prædictas causas, aliasque complures tempore & loco depromendas, ad proximum Concilium Generale liberum legitime congregandum appellavimus die 5. Octobris hujus præsentis anni Pontificia Constitutione, quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, data Romæ sextis Idus Septembris Anno 1713. itemque a Literis Pontificiis, quæ incipiunt *Pastoralis Officii*, Romæ affixis sextis Idus Septembris hocce Anno 1718. ab aliis omnibus inde secutis aut secuturis: & in dicta appellatione persistimus. Datum Parisiis tertio Nonæ Decembris anno millesimo septingentesimo decimo octavo.

§. XIX.

Pater Lafiteau a summo Pontifice Parisios missus.

*Lafiteau
Hist. Const.
t. 2. p. 129.
lib. 5.*

Hæc Parisinæ Universitatis declaratio summum Pontificem ad iracundiam haud immerito provocabat: publica tamen omnium ferme Universitatum palam plenum obsequium præstantium voce tumultuarios unius Sæculi bonæ latratus facile suppressi posse sperabat, præcipue, cum jam S. Officii decreto die decima nona Decembris

Sæc. XVIII.
A. C. 1719.

promulgato ejusmodi thraſonibus fau-
ces intercluſæ fuiſſent: Magis ſollicitum
reddebat Pontificem indurata Cardinalis
Noailii pertinacia; hanc emolendi ſtu-
dio Patrem Petrum Franciſcum Laſi-
teau ad Philippum Regni Gallici Mo-
deratorem ablegabat, qui eidem Ec-
cleſiæ mala, tumultus, ſchiſmatisque
periculum, omniumque Provinciarum
deſolationem merito timendam expone-
ret, ac Regiæ auctoritatis præſidium
contra refractarios imploraret: Adve-
nerat Hic Pariſiis ineunte Mense Ja-
nuarii, habitoque colloquio Moderato-
rem has demum controverſias compo-
nere propenſiſſimum eſſe, & ut Noail-
lium aut ad ſubjectionem pertraheret,
aut Canonum ſeveritati committeret,
deliberatiſſimum ſibi habere comperit:
Eo ſine P. Laſiteau eidem die ſeptima
ejusdem Mensis expoſuit, inter tot
conciliationis media toties propoſita,
totiesque rejecta unicum adhuc ſuper-
eſſe, quo Noaillio Pontificias explica-
tiones petenti, ſimulque Pontifici eas
dare reluctanti ſatisfieri poſſet, ſcili-
cet, explicationes, Conſtitutionis ta-
men ſenſui conſonas ab ipſo Noaillio
ex motu proprio eſſe conficiendas, has-
que Franciæ Episcoporum examini ac
judicio ab ipſomet ſubjiciendas, poſtea
ab Episcopis correctas, illuſtratas, ap-
proba-

Sæc. XVIII. probatasque typis esse edendas, dum
A. C. 1719. modo sub hac conditione, hisque ex-
plicationibus Cardinalis Noaillius Constitutionem acceptaturum, certum
polliceretur: demum illas Romæ a Magistro S. Palatii approbatas, ibidem esse
divulgandas, necnon accedente tacto Pontificis consensu post aliquot tempo-
ris intervallum Noaillius declararet quod Constitutionem juxta explica-
tiones Romæ impune vulgatas acceptaturus paratus esset. Placuit hoc consilium
Franciæ Moderatori, qui mox doctissimo Viro Du Bois negotium dedit, ut
præcipuas difficultates ab Opponentibus propositas explanaret, eo fine, ut
hæ ejus explicationes a præcipuis omnium Scholarum Theologis probe dis-
cussæ, atque approbatæ Acceptantibus Episcopis traderentur, hique genuinum
Constitutionis sensum in se contineri testarentur, easque suis chiro-
graphis firmarent, his vero ita peractis, Noaillius eas adoptare, & Con-
stitutionis acceptationem ad reparandam appellationis suæ scandala idoneam
ultra adjungeret, secus justæ Pontificis Regis atque Episcoporum indignationi
ac sententiis permetteretur.